



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

Caput 28. De Romanis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

Granicum fluiuium rege ducibusq; oppressis urbem Sardis capit. Romanorum Consul Torquatus filium suum, qui plures prælio hostes vicerat, virgis cæsum securi percussit. Alexander capta Tyro Iudæam inuadit. Post multas pugnas triumphans Alexandriam in Ægypto septimo regni sui anno ædificauit: & tenuit omnia quæ cæperat annis xii. Alexander Hyrcanos & Medos cepit. Alexander Ornem . . . & Indum amnem transgreditur. Bellum egit Alexander aduersus Porum & Taxilononē dimicauit, & vicit Arpalus fugit in Asiā. Alexand. xxx. ætatis suæ anno moritur in Babylone; postquam translatum est in multos eius imperium. Macedonum regnum Philippus frater Alexandri possedit.

Romani Samnitas diutissime aduersus se pugnātes ad extremum in seruitutem subijciunt. Seleucus Caput 28.
De Romanis. Consul Babyloniam & plures vrbes ædificauit. Censu Romæ agitato inuenta sunt ciuium Romanorum ducenta septuaginta millia hominum. Legati Alexandriam Ptolomæi transmissi Romanorum amicitiam petierūt. Romani Gallos superāt, & Sabinorum terram sorte diuidunt. Seleucus in Sicilia capto Demetrio Syriæ & Asiæ pariter imperauit. Sostratus ingressus est Alexandriam, quam Romano subdidit imperio, & pharum magnam in Alexandria fecit. Tratus argenteos nummos primus in orbe figurari fecit. Romani Carthaginenses nauali prælio superant & centum ibi vrbes capiunt. Carthaginenses Romanorū naues in Sicilia capiunt Metello Consule in fugam verso. Censu Romæ tunc agitato inuenta sunt hominum ducenta sexaginta millia. Post an. quatuor Romæ tēplum Vestale incensum est. Post annos xiiii. quadraginta fere millia Gallorum fuerunt à Romanis cæsa.
Post

Post annum septimum Caria & Rhodos terræ motu cō-
 cussa est, ita vt colossus magnus rueret. Post annos item
 septem victi Iudæi & sexaginta millia armatorum à Ro-
 manis cæsi, Romanam redacti sunt in ditionem. Post
 annos tres Romani Marcello consule Syracusam capi-
 unt. Siciliam. Post annos septemdecim Romani Græ-
 cos liberos esse iusserūt, & vniuersis Hebræis ita fecerunt.
 Postea per Antiochum regem Iudæi contra Romanos
 cœperunt rebellare, & idololatriam cogente Antiocho
 sunt cōuersi. Tūc Sacerdotes & duces Machabæi propter
 regem custodiendum surrexerunt, sicut scriptum est in
 lib. Machabæorū. Romani interfecto Seleuco rege Ma-
 cedones tributarios faciunt. Descriptione Romæ facta
 inuenta sunt hominum trecenta viginti duo millia. Op-
 pius consul Gallos capit. Et Carthago in ditionem Ro-
 manam per Scipionem redigitur; habens, quod condita
 fuit annos sepringentos quadraginta nouem. Ptolomæus
 Demetrio filiam suam tradidit vxorem. Cum regnaret
 in Ægypto & in Ierosolymis super Iudæos, dedit Deme-
 trio genere suo regnum quod abstulerat patri suo Anti-
 ochus rex. Antiochus rex filio Alexandro fratre Deme-
 trij interfecto ad extremum se interfecit. Bellum ciuile
 ortum est in illo tempore in Sicilia. Primus liber Macha-
 bæorum temporibus Antiochi scriptus est in Iudæa. Ce-
 saces Parthus Antiochum interfecit. Serui qui in Sicilia
 rebellabant, obsidionis necessitate compulsi ad sua inui-
 cem cadauera deuoranda conuersi sunt. Aruernia tunc
 nobilis Galliarum vrbs capta. Et rex Vetus iuxta Tu-
 le insulam igni est conflatus. Samariam urbem Herodes
 restaurans, Sebasten in honorem Augusti appellare vo-
 luit. Græci victi à Romanis subijciuntur. In Sicilia bel-
 lum ciuile cōsurgit. Deprehenso Ptolomæo per matrem
 Cleopatram

Cleopatram in Sicilia bellum ciuile quieuit. Ptolomæus rex Cyrenæ moriens Romanos testamento reliquit hæredes. Seleucus ab Antiocho viuis exurit. Antiochus in Parthos fugatur; Pompeio consuli se deinceps tradidit. Pompeius Syriam in ditionem redegit. Antiochus reuersus de fuga regnum obtinuit. Plotius Gallus Latinorum. Rhetoricam docuit sicut Cicero refert: Pueris nobis primum latine dicere cœpisse Plotium quendam. Descriptione tunc Romæ facta, inuenta sunt hominum quadringenta quadraginta quatuor millia. Voltacilius Plautus Pompei Consulis libertus doctor scholam Romæ primum inuenit. Pompeius gloriosissimè triumphauit.

LUCULLVS primus Imperator appellatus est, victa Armenia & Mesopotamia & Nisibi cū fratre accepta Pompeius vniuersum Hiberiã subiugauit. Lucullus de Bessistriumphauit. Virgilius Maro in pago qui * Ædis dicitur, non procul à Mantua nascitur. Antiochia ab Assyrijs capta. Aristobulus & Hyrcanus filij Alexandræ contra se de Imperio dimicantes, occasionem præbuerunt Romanis, vt Iudæam inuaderent. Pompeius Ierosolymam veniens, capta vrbe & templo obseruato ad Sancta sanctorum accedit. Aristobulū vinctum secum adducit. Hyrcanum deinde Antipatrum Herodis Ascalonitę filium procuratorem Palęstine fecit. Pompeius captis Ierosolymis, tributarios Iudæos facit. Pompeius secundus Imperator appellatur. Cæsar Lusitaniam & quasdam Insulas in Oceano capit. Cæsar Rhenum transiens Germanos & Gallos capit.

Caput 29.
De primo Imperatore.

Euseb. Andes'